



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Speculum Non Fallax

Segneri, Paolo  
Pinamonti, Giovanni Pietro

Coloniæ, 1706

**VD18 12375713-001**

Quod habent à Deo simul & à nobis;

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50799](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50799)

nam : & hæc omnia non dari solùm,  
 sed continuari tamdiu oportet , dum  
 opus bonum consummes, ita quidem,  
 ut vel unicâ earum deficiente , tota  
 continuò operatio deficeret. Vide igitur ,  
 quàm immeritò te extollas ob  
 quodcunque opus bonum : Lætari  
 quidem propterea potes, quia quævis  
 operatio bona est grande bonum, sed  
 gloriari non potes : mendicus trium-  
 phat , cùm pinguem eleemosynam  
 accipit, sed inde non extollitur, neque  
 socios propterea suos contemnit: quòd  
 enim plus cæteris acceperit , non fuit  
 alia causa , quàm quòd cæteris magis  
 miser, sordidus, aut importunus fuerit:  
*Quis ego sum servus tuus , quoniam respe-  
 xisti super canem mortuum, similem mei?*  
 2. Reg. 9. 8.

## PUNCTUM II.

*Propter id , quod habent à Deo  
 mul, & à te.*

II. **C**onsidera id, quod ex tuo con-  
 fers ad operationem bonam:  
 est

est cooperatio cum gratia , & bonus  
 potentiarum usus in executione ; hoc  
 ipsum autem rursus est Dei donum ;  
 non quod non verè velimus aut non  
 faciamus bonum, quod agimus, alias  
 nostrum dici non posset , sed quia id  
 non volumus , neque facimus sine au-  
 xilio gratiæ divinæ: *Non quia non volu-  
 mus, aut non agimus* , ait S. Augustinus,  
*sed quia sine eius adiutorio non volumus  
 aliquid boni, nec agimus*, Lib. I. de Grat.  
 Christ. c. 24. Quam igitur hic causam  
 habes gloriandi ? *Nunquid gloriabitur  
 securis contra eum, qui secat in ea ?* Isa.  
 10. 15. Verum quidem est, gloriari te  
 posse in Domino ob libertatem, quâ u-  
 teris in benè operando, quod nulli in-  
 strumento inanimato , & non libero  
 competit, sed gloriari non potes ad-  
 versus Dominum , arrogando tibi,  
 quod tuum non est ; *Qui gloriatur, in  
 Domino gloriatur*. I. Cor. 1. 31. nunquam  
 autem contra Dominum. Præterea,  
 etsi actus boni sint simul Dei & nostri,  
 æstimationem tamen ac pretium  
 D s suum

suum non habent ab eo, quod nostrum est, sed quod à Deo trahunt. Imaginare tibi grandem mundi hujus monarcham, qui pauperulam rustici filiam matrimonio sibi jungit: filii inde nati sunt omninò nobilissimi, regnique hæredes; nobilitatem tamen tuam, & jus regni non habent à matre, sed tantùm à Patre; materno enim titulo ignobiles sunt ac viles, ac propterea de stemmate paterno gloriari, maternum autem erubescere & occultare solent. Ita omninò se habent operationes bonæ ex felici conjugio gratiæ, & liberi nostri arbitrii natæ; ex illa trahunt genus coeleste, propter istud sunt abjectæ conditionis, & confusione potiùs, quàm laude dignæ. *Dei gratia à sum id, quod sum. 1. Cor. 15. 10.*

### PUNCTUM III.

*Propter id, quod habent tantùm à nobis.*

III. **C**onsidera, quam humiliati-  
onis materiam sumere debeas,  
ex eo, quod operibus bonis inest ex  
tuo;